



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De sacrificio Missæ. 83

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Domini misceatur. Quòd si ita est, humana certè traditio est, quæ non fuit ab initio.

Cæterùm de distributione amborum Sacramentorum, & quòd tam dispensatio quàm perceptio eam significationem habeat, quòd in Christo Domino sint & uiuât, quicunque hæc Sacrosancita Sacramenta iuxta institutionem eius ritè percipiunt, expressum habemus mandatum eum à Christo ipso tum ab Apostolis eius. Nihilominus tamen Aduersarij irreprehensibiles esse volunt, qui non ambo Sacramenta distribuunt, & si quândo aliquid ex eis populo communicant, diuidiatum solummodo Sacramentum ei præbent: factum verò hoc suum per spiritualem communionem excusant, & nullam vim in externis signis positam esse dicunt. Cæterum ex nostra parte, quamuis Sacramenta ea omnino ratione ac forma quam Dominus expressè mandauit, distribuuntur, spiritalis tamen communitio nihilominus docetur quàm diligentissimè, & populus per verâ fidem cum Christo Domino fideliter uiuitur. Quòd Aduersarij non modò non fideliter faciunt, sed plurima committunt, quibus hæc copulatio populi cum Christo Domino grauissimè impeditur. Irremissibile tamen peccatum esse oportet, quòd nullo modo neque per spiritualem cum Christo unionem, quantumuis ea diligenter per intelligibile uerbum inculcetur: neque per liberum & non necessarium externorum signorum usum defendi possit, ubi nullum signum mixtionis aqùe cum uino quæ sine dubio à paucissimis intelligitur, præmittitur.

Sed utinam Aduersarij ad eam doctrinam & usum S. Cœnæ, quæ Dominus nobis instituit, ac discretis uerbis præcepit, ueteresque Ecclesiæ diligenter ac fideliter obseruauerunt aliquando redire cogitarent, tum sanè de signo mixturæ exigua contentio ac disceptatio foret. Modò ut ea tantum ad salutem necessaria agnosceretur, quæ Dominus tanquam necessitatio ad eam requisita præcepit.

Octaua Pars.

De Sacrificio Missæ.

CAP. LXXXIII.

IN hoc articulo conantur primùm omnium Aduersarij probare eum ex S. Scriptura, tum ex antiquis Patribus, Celebrationem Sacræ Cœnæ esse sacrificium.

Secundò, Quòd Celebratio ista quatuor sacrificiorum genera in se contineat.

Tertiò, Conantur uerba & ordinem missæ defendere.

Quartò, Accusant Librum, quasi multa in se comprehendat, quæ uere Christianæ doctrinæ, & institutioni S. Cœnæ contraria sint: è contra multa omiserit, quæ ad legitimam S. Cœnæ celebrationem pertineant.